

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM XI. ANNI 1600.

De Vice-Comitum circa exactionem subsidiorum officio; Deque negligentiae eorum poena.

A r t i c u l u s 6.

§. 3. In Regno autem Sclavoniae, Dominus Banus exequatur. *)

Quantum Turcis subjecti et Sclavonia solvere; et quo illius subsidium converti debeat?

A r t i c u l u s 7.

Turcis subjecti et Sclavonia, dimidium solvant:

§. 1. Sclavoniae vero subsidium, eidem Regno pro defensione Colapis relinquatur:

§. 2. Ubi Perceptor sit, Stephanus Beriszlavith; qui de perceptis et expensis, Camerae Poseniensi liquidas rationes exhibere teneatur.

De conservando Regno Sclavoniae in suis libertatibus; et autoritate Banali.

A r t i c u l u s 27.

Regnum Sclavoniae, Sua Majestas Caesarea in suis libertatibus; et autoritatem Banalem, in expeditionibus conservare dignetur. **)

Ut milites externi, in Ungaria et Sclavonia non conducantur, lustrentur et ablicententur.

A r t i c u l u s 28.

Dignetur quoque Sua Majestas facere; ne externi milites in hoc Ungariae Regno conducantur, vel etiam ablicententur; sicut se sua Serenitas, istud apud Suam Majestatem et per se etiam effecturam, clementer obtulit.

§. 1. Idem fiat etiam in Regno Sclavoniae.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM XII. ANNI 1601.

Quantum Sclavonia, Turcis subjecti solvere; et quo illorum et quatuor Comitatum ante Transylvaniam sitorum, subsidium converti; quive praeterea in Sclavonia, in medium Regnicolarum contribuere debeant?

A r t i c u l u s 3.

Sclavonia et Turcis subjecti; contribuent pro media parte, ut Anno superiori.

*) Renovatur praesens Articulus; An. 1601. art. 6.

**) Confirmatur; An. 1649. art. 33. Et An. 1741. art. 47. et seqq.